ALEXANDRI DE SCARLATTIS

ABBATIS S. MARIAE POLICASTRENSIS.

EPISTOLA


AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM

FRANCISCVM BARBERINVM

S.R.E. CARDINALEM

VICECANCELLARIVM.





ROMAE,
Ex Typographia Io: Iacobi Komarek Bohemi. 1676.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

E BARBERINIS
CARDINALIBVS
S. R. E.
VICECANCELLARIO.

ALEXANDER DE SCARLATTIS
Fœlicitatem.



ACRAS olim euoluens Hiſtorias, ſucceſſum reperiui planè admirandum, præcipuèque dignum, qui Eminentiæ Tuæ,totique Excellentiſſimæ Barberinę Genti innoteſcat; vel, (vt potiùs reor) iam inolitus memoretur. Res his verbis deſcribitur.

Eodem anno (ſalutis ſcilicet 672.) Recenſuuintus Hiſpanorum Rex, vbi ab obitu Patris regnaſſet annos 22. & menſes ſex, mortuus eſt Kalendis Septembris, deſiderium ſui relinquens, vtpotè Regis optimi, Eccleſiæque valdè proficui; cuius, cùm nulli extarent filij, fratres autem ob nimiam imbecillitatem Regni adminiſtrandi incapaces eſſe viderentur; omnium, tàm Populi, quàm Magnatum conſenſu, in eiuſdem locum inuitus, ac diù reluctans, vi adhibita ſuffectus eſt Vambanus,ex Regio Gothorum ſanguine ortus, deceſſori, haud pietate impar, qui cum in Regem vngeretur, è vertice, vbi oleum Sanctum perfuſum fuerat, euaporatio quædam fumo ſimilis in modum Columnæ ſe erexit, & ex ipſo capite Apis viſa eſt proſilire, & ad Cœlos volare; quæ ſigna fuerunt ſecuturæ, ſub ipſius Regimine fœlicitatis.

 Hæſi,

Hæſi, ac ſimul gaudio exultaui (Eminentiſſime Princeps) agnoſcens in hiſce prodigijs præclariſſimæ Barberinæ Tuæ familiæ, inclytæque Columnenſis gentis originem, aut ſaltem mutuam vtriuſque affinitatem, diuinitùs tot ante ſæculis, tamque auguſtè adumbratam. Omitto adimpletum videri memorandis Martini V. & Vrbani VIII. Principatibus, quod Columnenſis, & Barberina Proſapia, de Sancti Spiritus irrigatione, ſeù gratia in ſacro illo prodigio exordium, & virtutem acceperint; At cur prætercam, vt olim de Vambani Regis capite Columna, & Apis, ſic noſtro æuo de Reginæ Eccleſiæ capite Chriſto Sacramentale fœdus Apis Columnæque ad Principum Thadæi, & Annæ fauſtum coniugium prodijſſe? Volauit quidem Apis ad Cœlum illo per omnes nobilis, & Chriſtianæ mentis actus à mortalitate dimiſſo: Columnæ euaporatio fumo ſimilis, vt eſt vita præſens, apparuit nobiliſſima, hæroicique animi fœmina nuper extincta, in hoc tantum vapori abſimilis, quod remanentem probitatis odorem nulla diſſolutura eſt ętas. Indè autem ſequutam fœlicitatem nemo inficiabitur, ſuperſtite tantarum prole virtutum, vt de hac multo æquius, quam olim de Romani equitis Infante promere liceat.

Iam noua progenies Cœlo demittitur alto.

Quaſi demiſſa Cœlo Camillula, nondum biennis, facta Deo primitiæ Sancti Coniugij, rerum humanarum caducitatem ignorans, Cœlo repetita eſt.

Carolus, non tàm Purpuræ, quàm innocentiæ nitore clarus, Vrbe, ac ideo Orbe, mirante talem ſe gerit, vt detur effari, cum multos nequitia in profligata ætate, non ſinat eſſe Senes; Principem iſtum, virentibus annis à probitate non ſini iuuenem videri. Sic tu, Antoniuſque frater, quamuis eò laudum, & gloriæ prouecti reperiamini, vt non quidquam poſſit addi faſtigio; adhuc tamen creſcitis in nepote, meritorumque ſuorum, quaſi gradibus aſcenditis excelſiores.

Lucretia neptis magis ipſa virtus, quam imago virtutis, vt cætera omittantur encomia, quantum à muliebris ſpiritus di-

ſtet

ſtet, infirmitate Sereniſſimi, magnanimique Coniugis, Matriſque incomparandæ iacturam fortiter tolerando, commendauit.

Maphæus Præneſtinus Princeps in ſpem pulchræ propaginis conſtitutus, qua magnificentia, pietate, prudentia adminiſtret,ſeù potiùs diſpertiat opes,nemo abſque plauſu intuitur.

Nicolaus magna candente Cruce, illuſtri pectoris ornamento, viſceribus abſorta fereque in ſubſtantiam cordis conuerſa, ſplendidus ſuimet contemptor, pugnas ambigui Martis ſibi à Turcica barbarie ingruentes, indito nomine pijſſimæ Oratorij familiæ, magiſque ardua (vt fama eſt) adhuc mente concipiens, certas effecit de inimico Mundo victorias, verè in Adoleſcentia ſuper ſenes intelligens, dum cœleſtis Regni margaritam, fragili ſæcularium illicebrarum vitro anteponit. Ego ſanè (Eminentiſſime Princeps) inter tot virtutum, & Maieſtatis oblectamenta, quin tui tuorumque totus ſim declinare non poſſum; nec nouus iſte Clienti, vt verbum à Poeta deſumam:

Venit amor ſubitaque animum dulcedine mouit;

At priuſquam præpoſiti mei cardinem attingam,aliqua præfari de me, pluraque de Amicis, & Mœcenatibus meis diſſerere liceat.

Florentiæ quinquennis puer Grammaticæ, ac Religionis elementarius commiſſus fui curæ Antonij Veſtrucci, magnificum Clauſtrum Laurentianum colentis, inter nobilis illius Baſilicæ Manſionarios. Erat ille tunc ſeptuagenarius, amæno ingenio, muſices, picturæ, ac plaſtices non ignarus; Apprimè autem de macerata fuſilique papiro in cauos types artificiosè diſperſa, ſtatuas, vel ſuperficialis cælaturæ imagines, aliaque opificia lepidè efformabat. Adnumerabatur Metropolitici templi Cantoribus voce pollens ab alto denominata, deſeruiebatque à Sacris Coſmo Principi, Magni Ferdinandi, & Heroinæ Lotharingæ primæuo, quem & ſi poſtea in Etruſco Regno ſuffectum vix trigenarium, mortis rapacitas abſtu-

lit,

lit, diuina largitas præſtat ſuperſtitem in Ferdinando Filio, regalis illius Spiritus ſponſore ægregio. Stabat ideò Veſtruccius antemeridianus ad vetus illuſtre prætorium, quo rei Sacræ interfuturus, adueniebat ille ingentis ſpei porphirogenitus, ab altero moliminis recentioris palatio per prolixa, ornatiſſimaque ambulacra iungentia veterem, nouamque Regiam, licèt laxo interuallo, & ipſo amne Arno interfluente diſtantes. Erat ſimul Præceptor Hugoni, Hippolytoque filijs Simonis Comitis de Gherardeſca, cuius Auunculus Cardinalis Medicæus paulò poſt ad Pontificatum euectus breui 26. dierum lætitia cognatos, & affines ſuos, at longo mærore, propero nimis obitu, Chriſtianum orbem repleuit. Nullis vnquam horis à diligenti Sene Veſtruccio niſi quieti vacante dimittebar, adeò vt quocunque iret, vellet me comitem, paternè admonendum, præcipuèque in ſupra laudatorum nobilium fratrum conſuetudinem induxit. Non parum delectabatur ſi ad ſacram aliquam cantionem, organis vocem gubernaturis me inſtrueret, aut mihi aliquid memoriter diſcendum mandaret, ad venerationem Diuinitatis, vel ad vitæ innocentiam in cœtu nobili pronunciandum. Triennio in liberalibus huiuſmodi exercitationibus vix expleto, dimiſit me beneuolus ſenex, quippè à mortalitate dimiſſus, ob æſtum intra viſcere excitatum ex motu, & cantu in ſanctis præcationibus longiſſima luſtratione, ad peruigilium Diui Præcurſoris Domini agi conſuetis pompa ferè triumphali. Sanè hic venerabundus memorare compellor inclytum Principem in ea celebritate fulgere ſolito auguſtiorem, potentemque Aulam, Ciuitatemque vniuerſam cultu nitidiore incedere. Tunc ſacra in exultationem perſtrepunt aera, nocturna lumina, & innoxia incendia per orbes, aut rectos volatus in aureum imbrem deſinentia reducunt diem, viarum ſtrata plurimis iactatis frondibus, floribuſque pinguntur, extrinſecæ domorum facies aulæis ornantur, & maiorum deſuper affixis imaginibus, inter ludos, & ſpectacula antiquam Romanorum maieſtatem referentia,

ipſi-

ipſimet vita functi Proceres vocari aliquo pacto videntur ad gaudium.

Veſtruccio erepto, contigit mihi quotidiana inſtitutio Franciſci Marchionij è grandioribus candidatis Cleri Metropolitani, qui cantui pariter, & organis pulſandis incumbens, & ideò frequens in Domibus Iacobi, & Bardi Curſiorum, fratrum, generis nobilitate, diuitiarum affluentia, & muſicæ cultura ſpectandorum, non ſiuit me frigeſcere in huiuſmodi ſtudio, licet ad latinam dictionem præſertim erudirer. Inde mihi dati Magiſtri Chriſtophorus Maluezzius, & ipſo, humanis ſublato, eamdem mihi operam præſtitere Albericus eius frater, Petrus Amadorius, & poſt ipſum Lucas Batius. Acceptis Marchionnij, ſat longo tempore inſtitutis, ſubiui rudimenta Raphaelis Lanzini, Presbyteri haud ineptè cordati; eo autem vſus ad annum ſalutis 1599. ætatis meæ vndecimum, commendatus fui Patribus Societatis Ieſu, litteris, & Chriſtianis moribus informandus. Priorem nactus ſum apud eos vtriuſque artis Doctorem Andræam Lutium Senenſem iuuenem optimum, ibidemque condiſcipulos habui Ioannem Dominicum Othonellum, nunc Ieſuitam eximium, & Ioannem Ciampolum, pridem amicum, mox, & affinem meum, ingenij fœlicitate, ex illis iam annis, velificantem ad ſcientiæ, honoriſque altitudinem, quam Ioannis Baptiſtæ Strozzæ pietas induxit, & Barberiana munificentia inſigniter abſoluit. Ipſomet tempore frui cœpi familiaritate Alexandri Berti nobilis adoleſcentis idem adeuntis gymnaſium. Florente ætate flos ille virtutum vitæ ſubtractus eſt: tanta autem relicta fama pietatis, vt eius deſcripta vita; multiſque modis effigie delineata, in eius venerationem aris, & thure vix temperetur: Sanè funus illius non fuit tacitum: nec pauca de ingenioli mei penuria eduxit. Hoc tantum, quod memoriæ obuenit opponere audeo.

Mors pueri mirata decus, mentemque ſenilem
Vt chara hæc (inquit) præda foret ſuperis.!
Iamque gradum ſiſtit telum miſſura; ſed oſtat:
Quod te Virgineo fulgurat ore iubar.
Quid faciat? ſpectare nequit quò dirigat ictum:
Ceſſet? vibrantem condere tela pudet:
Hæc puer vt ſentit demittit lumina: fulmen
Illa iacit: ſomno hic cedere viſus obit.

Ibidem iure neceſſitudinis adiunctus ſui Andreæ Saluatorio Italica poſtea poeſi, famam non vulgarem aſſecuto.

Illa etiam potitus ſum ſorte, vt ad Hippolytum Galantinum frequens accederem, ac Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis, ac Venerabilem Paſitheam item viderem, magnà vnumquemque nomina Sanctitatis.

Tanta autem beneuolentia me complexus eſt Laurentius, vulgò *delle Pozze*, memorati Ieſuitarum inſtituti Profeſſor, diuite ingenio, & multiplici doctrina pietati admixta ſpectandus, vt vltra quinquagenarium ſpatium velut in filium ille erga me affectu fuerit, ego illum defunctum ferè nonagenarium, coluerim, quantum à non ingrato filio redamari vnquam poſſit amantiſſimus Pater. Ab illo abſens eidem crebra litterarum reciprocatione præſens fiebam. Quas ille ad me dedit, quantum diuerſa mea itinera permiſerunt, tamquam dulcia ingenij, amoriſque ſui munera aſſeruaui. Hic verò liuidum me vel inurbanum cenſerem in Io:Paulum Oliua, tunc Romæ in Collegio Germanorum longè iuniorem commilitonem ſuum, niſi pauca referrem ex non paucis, quæ ad me de illo Neapolim ab Vrbe ſcripſit Laurentius, præſertim 4. Nouembris 1627. *E vn gran tempo, che io non hò veduto più, & maggiori talenti in vn petto ammaſſati, come in perſona ſua: giuditio profondo, memoria robuſta, ingegno, non sò ſe più ameno, ò più acuto, e ſaldo: eloquenza pellegrina: pietà ſtraordinaria: humiltà, riſpetto, amore, magnanimità in grado eccelſo. Dio li dia vita.* Annos iam triginta tres, ex illo flore iuuentutis enumerat.

Quem-

Quemadmodum in virum perfectum excreuerit agnoſcit Orbis Chriſtianus, & à Summo, & optimo Pontifice Alexandro eum in Diuini verbi præconem ſibi (vt antea Innocentius) adhibente, honorificentiſſimè innuitur.

Anno 1607. menſe Septembri in ipſo litterario ludo primum mihi auditum eſt præſulis Barberini nomen, cum promotionis nuncio, eiuſdemque encomio, vnde ſcintillæ obſequij erga Principem digniſſimum menti meæ iniectæ, poſteà creuerunt in vaſtum reuerentiæ ardorem.

Tranſacto in illis Claſſibus octennio, in quibus item præceptores habui pietate, atque eruditione non aſpernandos, Marium Viola, Dominicum Carpianum, Stephanum Aſturiarum, Ludouicum Thebaldum, Theodorum Orlandinum, Titianũ Theophilum,& Ioſeph de Caſtro nouo, etiam poſtilla tyrocinia de me optimè meritum,Bononiam perductus ſum ab Auunculo meo Mario Lando tunc tẽporis illius Vrbis Incola, multis Patrem meum laudantibus, quod licet tribus alijs maſſculini, totidemque infirmioris ſexus grauatus liberis, vt maximi, Sanctiſſimique Doctoris verbis vtar, vltrà vires rei familiaris ſuæ impenderet filio etiam peregrinanti, quæ ſtudiorum cauſa opus eſſent. Ingreſſus amplam illam Ciuitatem in fidem receptus fui Cardinalis Iuſtiniani Legati de latere ipſam moderantis, ideoque conſuetudinem aſſecutus Thomæ Mancini Picentis ei ab Epiſtolis, ante à Ruuereo Cardinale vſque ad eius obitum ſtipendia emeriti, viri ætate quidem, ac valetudine effœti, at viuidi adhuc ingenij, politioriſque litteraturæ inſtructiſſimi, cui libens adhærebam, quantum mea Iuris ſtudia patiebantur, ne penitus aboleretur, ſi quis eſſet in me latini color ſermonis.

Eo adhortante obtuli aliquando Equiti Nerio Dragomanno Cardinalis domini ſodali potius, quàm famulo, at valdè merenti, non vilia poma, quæ Florentia acceperam, additis verſiculis.

Accipe flos Equitum fructus telluris Etruscæ.
Spernere nec magnus munera parua velis;
Non te digna quidem, leuibus; sed sæpè tributis
Quidquid abest, fido pectore pensat amor.

Auditor aliquando fui Sebastiani Reguli, & Ioannis Elephantuccij Philosophorum. Delectabar etiam prælectionibus Ludouici Scapinelli Mutinensis, luminibus ab infantia orbati, humaniorum litterarum peritia pænè singulari. Interueniebam scholis Angeli Spannocchij Iurisconsulti primarij, Annibalis Marescotti, Hieronymi Buccaferrei, & Ioseph Giouagnoni. Is verò, à cuius latere nunquam discessi, fuit Camillus Gypsius in me paterna ferè charitate propensus, processu temporis ab Vrbano VIII. Senatoria claritudine in patria exornatus, post Cardineam purpuram æquis, sapientissimisque arbitrijs eiusdem Pontificis Berlingerio fratri, non paucis titulis, promerenti delatam.

Ibi parta mihi beneuolentia Io. Baptistæ Rinuccini, postea per varios Aulæ Romanæ gradus, ad Archiepiscopatum Firmanum, & Pontificiam Hybernicam Nunciaturam elati, Florentiæ item, ac Romæ, tandemque in hac ipsa Lutetiana Ciuitate in mei fauorem perhumaniter addicti, altiùs facilè ascensuri, si longior ætas eius meritis adnuisset. Eadem in Academia perhumaniter in me ferebantur, inter alios non paucos, Gaspar Marcuccius inde insignis Philosophus, Benedictus Deodatus, & Ioannes Paulus Cenamius nobiles Lucenses, & de Florentina nobilitate Vincentius Strozza, Philippus de Hieronymis, & Philippus Strozza, iam tum Abbatiali titulo clarus, omnium iudicio in summæ dignitatis consumationem iturus, nisi mors immatura pulcherrimum florum apparatum in fructum adolescere prohibuisset. Beneuolis amicorum officijs mihi etiam quæsitus fauor Francisci Boncompagni studiosi, pijque adolescentis Sorani Ducis filij, postmodum Cardinalis, & Neapolitani Archiepiscopi; gratia ibidem mihi non defuit Ludouici Gonzaga, tunc Mantuæ

Pri-

Primicerij, deinde Albensis Episcopi, splendore generis, multiplicique virtute spectandi; Eodemmet tempore cæperunt me addicta studia in Marchionem Fachenettum, Cæsaremque eius filium, tunc ferè infantem, postea ab ipsomet Pontifice Vrbano inter Romanæ Curiæ Prælatos, & Sacri Collegij Patres adnumeratum. Hunc semper ornauit morum innocentia, tantoque is eminent cumulo meritorum, vt è Diuina humanaque re videatur, optare illum Innocentio Nono patruo magno, dignitate parem, longæuitate maiorem. Summo ibi in honere habui Vgonem Albergatum, Fabiumque, & Nicolaum eiusdem filios tunc planè pueros, post autem non tam in maturitatem annorum, quam in consumationem virtutum prouectos; Fabius, spretis afflantis fortunæ blanditijs, ad vexilla Crucis in Societatem Iesu confugit, Nicolaus ab affinibus Ludouisijs, vt voluit Innocentius Decimus ascito cognomine, acceptæ Purpuræ nouis quotidie splendoribus intendit iubar, meumque obsequium, tanta humanitate intuetur, vt absque ingratæ mentis nota illum silens præterire non valeam. Accedit, & tertius frater ætate minor, in Sacro Romanæ Curiæ Auditorio auitis laudibus grandia præbens incrementa. Nec quidem omittam Hieronymum Caprara senem magnificum, candidumque honesti cultorem. Hic me ædibus suis contubernio proximum frequens vocabat, & ad dulce rus, quod sibi sub vrbe erat deducens, delectari videbatur meo idiomate, quod ego in illis annis recens à patria nihil tale cogitans, illam extra simulationem, innato vocis inflexu, & gutturis, vel oris aspiratione ingenuè profitebar. Erant penes ipsum Carolus, & Maximus filij iam prouectæ ætatis, ac perfectæ virtutis. Maximus postea coniugio sociatus lectissimæ Comitis Alberti Bentiuoli filiæ suscepit egregiam prolem in qua ipsiusmet, maiorumque mores, non sine amoris sensu mihi obseruantur. Longa texerem Commentaria si quæ mihi de Vrbe argoque Bononiensi grata obueniunt de cœli clementia, Soli amœnitate, atque vber-

tate, de Ciuium suauissimus affatibus, diuitijs, magnificentia, operibus, religionem, pietatem, omnesque bonas artes spectantibus, vellem, non dicam ornando, describere, sed numerando censere. Omnia hæc famæ remittens, nil sanè in maius laudanti, meminerim tantum Georgij Iustiniani Iesuitæ piam facundiam, quæ instar Sermonis, Eliæ iuxta diuinum effatum, quasi facula ardebat; nec solum ex industria se ad omnium statum, vel nobilium, vel artificum, vel puerorum, vel muliercularum mirè adaptabat; sed eò euadebat etiam in circumfusa innumerabilium audientium multitudine, vt singulis vno eodemque tempore ad animi necessitatem loqui, nil vt plurimum mediatus, quin potiùs à diuersis Christianæ actuosæ vitæ lassus exercitationibus, vim afferre, ipsimet, qui hæc fœliciter patiebantur, altè admirantibus videretur. Trahor, vt memorem Iulium Mazarinum, eiusdem Instituti cultorem optimum, ex eo tempore in multos annos eius Collegij domicilio præscriptum, vbique pariter multò post, in bona, cunctisque venerabili senectute defunctum; Magna hic erat in existimatione, ac beneuolentia penes Vrbanum maximum tunc Cardinalem, visusque est præludere clarissimis gestis, per alterius Iulij Mazzarini gentilis sui, quum idem Pontifex, te sanè, & Antonio purpurato fratre adiunantibus, in Sacrum Cardinalium Collegium asciuerunt, vt de Purpuræ celsitudine darentur præmia ostensæ virtuti, magisque indidem probandæ, vires suppeterent æquiores.

Primo meæ Bouoniensis diuersionis anno, ætatis autem vigesimo, cum illius Archigimnasij stet consnetudo, vt geminæ orationes in diebus Lucalibus, veluti classicum ad studiosa Iurisprudentiæ, artiumque certamina celebri apparatu habeantur, mihi impositum sensi alterius munus; cui quidem obeundo, præsentem habui Legatum Iustinianum, & quidem inuenibilis ausibus meis mirè fauentem. Par mihi posteà sors obtigit Romæ, vt in Sacris Pontificijs ædibus anno

supra

ſupra milleſimum ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo coram Gregorio XV. Sanctiſſimã Trinitatem,& ad finem vigeſimi quarti, in exordio Iubilei coram Vrbano VIII. Sanctum Ioannem Euangeliſtam, meis quamuis rudibus Sermonibus venerarer.

Quadriennium Bonoinæ traxeram, vt in optimæ Studiorum matris gremio ad ſcitu dignarum rerum notionem aliquam enutrirer, iamque I. V. Lauream aſſecutus fueram de anno 1611. cum in ea Legatione Cardinali Iuſtiniano, erga me benignè inflexo, Cardinalis Barberinus ſuffectus eſt, inde ſupremus Eccleſiæ gubernator futurus. In Principe muſarum, & virtutis alumno diuina bonitas iuuentutem meam lætificauit, quandoquidem, & Alexandri Barbadori eius Auunculi, & Friderici Elephantuccij Senatoris Bononienſis commendatione, & ſuimet animi magnitudinè, nihil in me honeſtando prætermiſit, vnde ſibi me deuinciret. Ego verò Florentiam rediui, benignè mihi à purpurato Barberino data diſcedendi venia, ſed ne in loco obliuiſcar Patrui tui clementiſſimi, non reticendam in me bonitatem, ingenuè fatear, quod percepi à Ioanne Ciampolo ſincerè, ac ſeriò aſſerente, obueniſſe animo Sanctiſſimi Principis Romam me euocare tibi ad ſtudiorum gratiſſimos labores famulaturum, nec illum aliam ob cauſam ſubſtitiſſe, niſi ob aliquam de mea valetudine diffidentiam, cum præſertim, dum ipſa hæc agebantur ægrotarem. Inuidit fortuna mihi egregiam ſortem, nullam tibi, tum quia aſſeclis me aptioribus non caruiſti, tum etiam, quia meus in te ſenſus fuit, eritque, qualis actu acceptiſſimi ſeruitij excitari vnquam potuiſſet.

Florentiæ à Ioanne Ciampolo tibi, cum Parentibus Bononiam tranſeunti, exhibitus ſui, Eminentiſſimi Patrui venerator, tuarumque virtutum, in illa iam ætate illuceſcentium amator ardeſcens. Manſi Florentiæ quadriennium, quotidiana Ioannis Baptiſtæ Strozza conſuetudine fruens, viri nobilitate non minus animi, quam generis, pietatis, beneficentiæ, multipliciſque doctrinæ, ac litterarum laude ſpectandi.

Pla-

Planè gloriabatur optimus Senex iura se à iuuentute coluisse gratæ necessitudinis in Franciscum Barberinum Romanæ Curiæ Præsulem, domusque tuæ illustrissimum verticem, tunc iam grandæuum, eoque optante factum se Maphæo adolescenti indiuiduum sodalem, animos, morum, studiorumque laudabilium glutino (vt sic loquar:) copulante. Quæ tunc ab homine candidissimæ mentis, eloquijque: (si vnquam in alio) dulcis audiuerim de prouidis Francisci consilis in Maphæi regenda iuuenta, & indole ad virtutem informanda, non est præsentis tempore enarrare. Id tantùm effabor, visum scilicet animi paterni Patruo, sacro nepotem aptare imperio, nec defuisse qui cum eo conciperent tempora Pontifici præludere cuncta futuro. Vide igitur (inclytè Princeps) à quo tempore, & quam altè cordi meo in in te, clarissimamque gentem tuam veneratorius infixus sit amor.

Dicere hic allicior tunc à me, meisque impensè optatum, vt ad obsequia augustæ Mediceæ Domus Carolo Principi iam propè purpurando reciperer, nec votis meis amicam opem nobilium vindicum defuisse: è quibus, ne ingrati macula inficiar, libenter recolo eumdem Ioannem Baptistam Strozza, Marchionem Franciscum Gonzaga, præfati Ludouici germanum, Comites Albertum Bentiuolum, & Paulum Boschettum, alijs etiam beneficentiæ titulis, quamdiu me vita non deferat, animo meo gratia recordatione mansuros. Cæterùm fiducialiter, at verè, profitebor me impotem voti, ob infirmam valetudinem, sollicitum tamen fuisse, vt Familiæ huius Serenissimæ amorem mererer, factumque postea, ex ipsius munificentia, vt Carolus frater meus gauisus sit honore ipsi deseruiendi, domusque nostra, etiam post fratris obitum, Ferdinandi Secundi Ducis non tam dignitate, quam meritis verè Magni, largitatem agnouerit.

Florentinæ Ciuitatis iura nobis cum fœnore restituta fuere, Serenissimorum Principum indulgentia, ex quo Alexander Auus meus Florentiæ à pueritia versatus, & in Castris Magni

Cosmi

Cosmi stipendia emeritus, illuc tandem (iturus in Galliam Cisalpinam, vocante Parmensium Duce, credita illi leuioris armaturæ Equitum præfectura) domum suam retulit ab vrbe Luca, vbi Bernardus, seu Bernardinus eius Pater Mediolani natus, & educatus, cum Alexandro genitore, alterius Bernardi filio, reduce in Tusciam, vsque ad 1541. substiterat, comiterque à Senatu Lucano exceptus, vxorem ibi è selecta nobilitate duxerat, Ciuitate donatus, amplissimo diplomate de mense Maio 1525. quod apud nos asseruatur adhuc. Sed hic parcas Eminentissime Princeps fiduciæ meæ, si vbi de Auo Proauoque meis, viris vtique de familia nostra benemerentibus sermo incidit, addam quos, ad excolendam ipsorum memoriam, versiculos aliquando, humili modulatus auena, Patri meo obtuli, & primum quos in laudem Bernardi scripsi, pro ea qua polles, humanitate libenter audi.

Insuber Etrusco BERNARDVS sanguine natus
SCARLATTAE gentis gloria quanta fuit?
Armatus doctor, belli legumque peritus
Viribus emicuit, claruit ingenio:
Lucana PAVLVM comitatus ab Arce vocantem
Assiduum Domino præstitit obsequium.
Tum PAVLI Genito, magnisque Nepotibus, idem
Impendit studium, mortis ad vsque diem.
Testatum id voluit grato RANVCCIVS Vrbi
Funere, quod maduit fletus ab imbre sui
LILIA sic nobis niteant FARNESIA semper,
Nostraque continuo, hoc flagret odore Domus:

Accipe dein reliquos, & in vna Aui mei Alexandri immatura morte, sinas me flere domus nostræ iacturas, quæ pene post modum ab interitu vindicata, in quinquenne tunc puero genitore meo Pompeio, admirabili Diuinæ Opis præsidio stetit.

BERNARDO genitus SCARLATTAE Prolis honorem
Auxit ALEXANDER, Martis in arte ferox.

Qua-

Quæque Pater coluit FARNESIA LILIA, palmis
Victor ad Eridanum nexuit ipse suis,
Quas nimis, heu celeres, disturbauere cupressi,
Messuit, & propera mors inimica manu,
Assueta in nostram, quæ tela infigere gentem
Cum caro LAVRAM coniuge subripuit.
Dotibus hæc animi generisque illustris, eodem
Interijt, quo vir, mense, dieque simul
Tum BERNARDVS, Aui dictus de nomine, fato
Concessit simili, Peste necante, puer
Vnus, & è cunctis POMPEIVS funeris expers
Immanem potuit vix superare luem,
Numina seruatum, quem in tot voluere procellis,
Viuat vt in tanto germine Patris bonos.

Quod verò attinet ad originem nostram, certum est ex ipsamet Etruria sumptam, Senis verò ne an Pisis incertum, licet in vtraque Ciuitate familiam honestè, ac splendidè consedisse, cunctosque nedum prophanos, sed & sacros inibi magistratus laudabiliter gessisse, publicis tabulis comprobetur, maioresque nostros, terris iactatos, & alto, varia postmodum quæsijsse domicilia iuxtà rerum, & temporum vices, at in hoc non tam immorandum, quam satagendum vt nostra nomina in æternæ vitæ libro scribantur. Tantum addam, ne desim officio, nulla decora Florentinis alijs tribui, quæ pridem Ciuium Comitas, deinde verò Regia nobis Principium beneficentia impertita non fuerit. Hic sanè si mihi suppeterent vires ingenij, eximis extollerem laudibus Carolum iam diù Cardinalium Decanum, & cum magno Duce Nepote, Ioannem Carolum pariter Cardinalem, Mathiam, ac Leopoldum eiusdem Magni Ducis Serenissimos Fratres, velut, apud nitentem Solem lucida Sydera; nec minus Victoriam Roboream vxorem, nullis ex antiquioribus hæroinis secundam; parique affectu celebrarem Cosmum Principem, vt titulo, sic regia indole, magnum augustæ Domus hactenus

Spem

Spem vnicam quidem ; sed largiter exuberantem . Nemo istorum non me principali sua gratia decorauit ; at quid deferam, ingenij culpa, tot argumenta encomiorum, quamlibet validissimam lassatura facundiam ? sed præstat venerabundo suspexisse silentio, quos nulla satis exornaret oratio. Diligens taciturnitatis acclamationum vim sapit ; sicque ab ingrati censura me vindicabit, cum nemini, de studiosissimi Auctoris sententia, vitio datum sit, Deos colere quocumque modo possit.

Moneor hìc reminisci patefactum mihi aditum, ab eodem Comite Alberto Bentiuolo, ad Antonium Medices Francisco Magnio Duce progenitum, Eleonoræ Mantuanæ Ducis, & Mariæ Galliarum Reginæ germanum, de me liberalitate gratiaque non parum meritum. Erat Princeps iste inter Milites Hierosolimitanos Prior Pisarum, mitis ingenij, opibus pollens, liberalis, magnificus, nec aduersus pietati: militiæ diù vacauit: semper venatui; & ad vtrumque arma, seù instrumenta sic affabrè, tantaque cum industria conficiebat, vt suæ viderentur plurium artificum manus. Egregiè callebat herbarum, aliarumque productionum naturalium potestates, & vsum medendi, atque ipsemet lassabatur, quamuis sedulitate non sentiret laborem, in molliendis, durandisque materijs, siue extrahendis succis ad variarum specierum medicamenta, quæ ille, rara arte commiscens, munificus dispertiebat; sicque ad vapidos, infensosque carbonum ignes, ea de causa assiduus erat, vt inde vultus illius nigresceret, læsa etiam in corpore, artuum compagine, cuius in morbi longà nec refractarià tolerantià, nondum quinquagenarius diem vltimum clausit. Musica delectabatur, aliasque illustres artes fouebat, vt penè prodigium fuerit in viro sortito animam bonam, nunquam ocioso Cererem, Bacchunque auersante, non perijsse, quin potiùs præualuisse cupidinis arcus, vnicam splendidarum suarum dotium caliginem, cæteroqui omnem laudem promeritarum. Aliquando in quadam odicula ei dicebam.

Di tua destra il fatal brando
Fulminando
Gente infida al mondo inuola;
Tua pietà sedendo in pace
La fugace
Vita altrui ferma, e consola.

Tunc etiam indiuidua Strozza consuetudine fruens, alloquijs sæpè gaudeam Gabrielis Chabreræ, Octauij Rinuccini, Raphaelis Gualteroti, Iacobi Soldani, Michaelis Angeli Bonaroti Iunioris, Galilæi de Galilæis, multaque ex illis, alijsque claris viris addiscenda audiebam, facta etiam per illos frequenti mentione Cardinalium Bembi, Antoniani, & Barberini: item & Illustrium Mazzoni, Bonamici, Tassi, Speroni, Guarini aliorumque, quos ipsi nouerant, à litterarum studijs non breue nomen consecutos. Ibidem grata familiaritate me iunxi Ioanni Dominico Perio ditionis Senensis montano agricolæ de oppido Arcidosso. Hic quanquàm litterarum omninò rudis, tanta voluptate rapiebatur in Etruscam poesim, vt parta sibi aliqua legendi, & scribendi notitia, quidquid temporis labori rustico, sibi ad victum necessario, supererat, percurrendis, vel suo marte scribendis lyricis, heroicisue cantionibus studiosè insumeret. Vix dicere est qua celeritate diuersarum specierum carmina expromeret, quæ sanè naturali quodã impetu producta longè faciliùs de integro, si quid corrigendum esset, in tota eorum extensione recudebat, quam in breui verborum ambitu emendaret. Planè innumera sunt quæ cecinit, sumpta de quibuscunque obiectis materia, concisim, aut prolixè laxatis tibijs. Edidit inter cætera quinque librorum serie, strophibus octauas nuncupatis versuum alternatim similiter desinentium, iuxtà epicorum poetarum Etruriæ morem, futuram mundi solutionem, inditio titulo: *Il Mondo desolato*. Tale erat, vt mihi meminisse videor, exordium operis.

Can-

Canto l'horendo, e ſpauentoſo giorno
Aſpettato à recarne vltima ſera.
Il di ch' Aſtrea dal ſuo diuin ſoggiorno
Verrà ſdegnata à ſprigionar Megera;
E'l gran Fabro del Ciel di luce adorno
Seder' vederaſſi entr' à beata ſchiera
Per dar' à giuſti gloria: à gl'empi eſitio
Con incorrotto vniuerſal giuditio.

In progreſſu autem operis præcinens rerum combuſtionem pangit, ni me fallit memoria.

L'Elba nemica all'huom: l'Elba ch'in ſorte
Hebbe dal Ciel di generarſi in grembo
Materia di furor, di guerra, e morte,
E dell'amabil pace horribil nembo
Anch'ella le ſue vene incolte, e ſmorte
Haurà qual fù di nebbia inutil lembo;
E'n fin tra Battro e Tile ogni pendice
Per non più rinouarſi andrà fenice.

Hæc à facundo ruſtico decantata recitaui, quia priora recogitandi occurrerunt, non autem quia pro melioribus ſelegerim; at ſi quis eius operum legendorum copiam haberet, plurima forſan inueniret, vndè cognoſceret quantum vena diues, etiam ſine ſtudio emineat, vel quomodò Diuinæ dotes ſe ſe communicent, nullo, vt plurimum facto naturæ fortunæue diſcrimine. Iacobus Curſius ſplendidus Muſarum, & Muſicorum Mœcenas, decora quidem memoria dignus, hunc primum noſcendum præbuit Magno Duci Ferdinando, Vixit autem is tanto Principi, eiuſque ſucceſſoribus, totique Regnatrici familiæ acceptus, eo etiam nomine æſtimandus, quod per benignè ab ijs excitatus, vt abdicatis ſiluis demigraret in aulam, ſplendidior Dominus contempti luxus, & honoris, præ animi moderatione illam inuiſere abnuit, niſi quotannis, Pompeij Patris mei hoſpes, ad regias pompas recurrentis Sancti Ioannis Baptiſtæ celebritatis, qua à munificen-

tiſſimis Principibus plura tribuere paratis, vltrà nummaria subſidia, frumentarium chrirographum in ſui, ſuæque familiæ ſuſtentationem accipiebat. Mea poſtrema, & quidem grata cum ipſo alloquia Romæ fuerunt, Sacro exeunte anno Iubilæi, per Sanctiſſimum Pontificem Vrbanum, Chriſtianis populis reſerati; nec ille Principum Maximus dedignatus eſt, affatibus, doniſque ſuis, humilem hunc aratorem ſtiuæ aſſuetum, plectroque idoneum, quem tu etiam (Eminentiſſime Princeps) è Gallica Legatione tunc quidem reuerſus, iam iamque Hiſpanicam, in tuorum culmen honorum aggreſſurus, tuis muneribus decoraſti.

Mihi religio eſt non meminiſſe à me auditum eundem optimum Senem, multa enarrantem de Sancto Philippo Nerio, memorandiſque Cardinalibus Baronio, & Taruſio, Romæ ſibi frequenti conſuetudine cognitis, ingreſſum dante Friderico Cardinale Borromæo eiſdem addictiſſimo, adeout pauca perlegerim in hiſtoria vitæ eiuſdem Sanctiſſimi viri, poſt eius indigitationem publici Iuris effecta, quæ iam eiuſdem, & Strozzæ placidus Sermo menti meæ non impreſſiſſet. Cùm eodem verſans, eodemque iuuante aditum habui Florentiæ, ad gratiam Iulij Sacchetti Iuuenis tunc ægregij, poſtmodum verò Præſulis, & Cardinalis verè ampliſſimi, duobus iam inter regnis, tenaci ferè omnium Patrum ſtudio, & totius Chriſtianæ Reipublicæ noto, in Clauium Cæleſtium dignitatem exoptati, ſummoque Imperio, non minùs propter altum contemptum, quam ex ipſa meritorum præſtantia digni, vt ex tanta animi magnitudine, non ſolùm aliquot, ſed omnium, annorum Pontifex glorioſus in memoria, & fama rerum cenſendus eſſe videatur.

Poſt Bononienſem incolatum, Florentiæ manens (qui ſæpè ad regularis obſeruantiæ ſtatum propenderam, ſed piorum, prudentumque amicorum ſauſu annum agens 17. clericalem veſtem indueram, minoribus ordinibus ab Alexandro Martio-Medices Florentino Archiepiſcopo ſignatus fui, po-

ſtea-

ſteaque media, non paucorum annorum intercapedine nullo inſtructus prouentu Eccleſiaſtico , ſub finem anni 1623. Romæ ad Sanctæ Mariæ Maioris, in Sacrario magnificentiſſimi deluari Burgheſiani, à Ferdinando Cæſareæ Archiepiſcopo, Comitis Pauli Boſchetti fratre, per Cardinalem Millinum Vicarium Pontificium delegato , Subdiaconus , Diaconuſque , ac Presbyter inauguratus , ante illam toti Chriſtianitati venerandam Dei genitricis imaginem, in Sancti Thomæ Apoſtoli ſolemnijs, primum priuatim obtuli Altiſſimo Sacrificium.

Expleto Florentiæ quadriennio, diſceſſi in Galliam Comes Comiti Paulo Boſchetto vitæ innocentia incomparabili, quo in itinere Bononiæ per Hebdomadam commoratus veterum amicorum officia grata vice repedi, parique dierum ſpatio dein Placentiæ, vbi plures è Carpana Jgente , & Landorum familia, alioſque Auiæ meæ Lauræ , & Franciſcæ matris meæ agnatos , & affines , perhumaniter ab his exceptus, agnoui, quorum fauore Sereniſſimis Principibus Farneſijs , quibus Domus mea tot ſe , tantiſque antiquioribus nominibus , & recentioribus beneficijs , auitæque clientelæ nexibus obſtricta profitetur , innotui ; Mediolani poſtmodum ſubſtiti nonnullos dies, quibus Præſulis Sanctiſſimi Caroli recurrens ſolennitas, virtutes altiùs mihi admirandas exhibuit. Superaui Montes Euganeos, vallemque Sedunenſem tranſiui, & in eius extenſu Rhodanum nil tumeſcentem huc illuc ad commoditatem itineris æquitumeſcentem ad commoditate itineris æquitando traieci . Luſtraui Terras Sanctorum Militum Thebeorum martyrio ſacras, ac Lemano lacu marinis fluctibus tunc aſſurgente Geneuam adnauigaui, miſerans Ciuitatem non contemnendam, Petri Cathedrali ſede illuſtrem, à Petri Fide, falſis admiſſis dogmatibus, deſciſcentem, licet per ſimbolica ſigna , lucem à ſe poſt tenebras ſperari denunciet, interim caligine erroris obductam, ignis æterni ream.

Manſi Lugduni aliquot dies, dignatus gratia lectiſſimi Archie-

chie-

chiepiſcopi Marquemontij, poſtmodum, ſapienti, ac benefico Pontificis Vrbani iudicio, inter Cardinales adſcripti. Nouem dierum via perueni Lutetiam Pariſiorum, non arctum terrarùm orbis compendium. Semeſtris fuit mea in Ciuitate ampliſſima diuerſatio, ac ferè omnium dierum audita hinc inde laus optimatis Barberini, adhuc recentis à Nunciatura Apoſtolica in illo Regno, ſub vno, & altero Pontifice, commendabiliter geſta. Nuncium ibi Bentiuolum (aliquot poſt annos Cardinalem) ſalutaui, Vbaldino iam Cardinali ſubrogatum, viſum priùs Florentiæ, Lugdunique in tranſitu, poſtmodum ſemper, iuxtà ſignificationem agnominis, rara humanitate mihi beneuolum, purpurati Vbaldini pariter introductus ad gratiam. A Bentiuolo Cardinale, hiſtoriæ ſuæ Belgicæ impreſſo exemplari donatus, eidem libro hæc in non ingrati ſenſus ſignificationem adſcripſi.

Quæ manus illuſtri monumenta hæc edidit arte,
Hoc libro noſtrum munerat obſequium.
Tantum miror opus: tamen hæc ſententia menti
Surgit ad excelſi maxima geſta Patris.
Ille diù ſcripſit; nullam ſic paſſus abire
Secluſam meritis, & ſine laude diem.
Longa igitur breue ſi ſuperant ſi dextera linguam
Iure pijs cedant moribus hiſtoriæ.

Viuebant illis temporibus in Gallia Venerabilis Epiſcopus Gebennenſis Diuini verbi annunciatione, & obſeruantia celeberrimus, ab Alexandro VII. qui nunc Petri nauis Clauum tenet, in Beatorum Elencho propediem adſcribendus, Petrus de Berulle poſtea Cardinalis, delectu maximi Vrbani, Oratorij Congregationis Inſtitutor in Gallijs; Maria ab Incarnatione, item, & Domina de Chantal, fundatrices, illa, Berullo adiutore, Sanctimonialium Diſcalceatorum Diuæ Tereſæ, iſta, Gebennenſi auſpice, earum quibus à Deiparæ viſitatione vocabulum: Carolus de Gondran Berullo in ſupremo Congregationis

tionis Oratorij moderamine Successor: Bernardus è Burgundia, & Iuanus è Prouincia Sæculares Presbyteri, & Baro de Ranty è Nortmannia, militans Regi, at Christo impensissimè seruiens. Istorum quilibet recordatione sanctitatis effulget, ac per publica suæ vitæ acta probat, quemadmodùm Gallia influat in adimplementum Oraculi enunciantis, Ecclesiam Dei Sanctorum, alios post alios, omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi habituram.

Decessit in illa hyeme Maria decennis puella gemina Concinu de Concinis, & Eleonoræ Galigayæ proles, vnico nempè addita filio; cumque nil esset in tota Aula, ob Reginæ fauorem, Coniugibus istis splendidius; sicut euentus hic, curiam (saltem in speciem) concussit, de sterili meo attramentario, metra hæc elicuit.

Virgo, deliciæ, claris genitoribus, amplas
Spes, qua præcipiti destruis interitu?
Aeheu cognomen longum sortita, decusque
Aeternum, vitæ quam breue curris iter!
Sane in te de CONCINIS fit concinis, & vox
Hæc noua præstanti non ratione caret;
Antea si flos in terris, nunc ætheris astrum
Concentus inter Concinis æthereos.

Quintus decurrebat tunc annus ab infando Henrici Regis magni parricidio, cum vastissima vrbs, & immensi populi ferè incapax, euasit luctuosæ iterum Sortis theatrum. Conspectus ibi Concinus, opibus & potestate nulli secundus, regali Comitatu ad Regiam accedens, inopino laxati in eum manualis tormenti ictu necari, opprobriaque mortuus, à plebe furente, pati, vbique vulgata, vix tamen ijsmet ipsis, qui spectauerunt, credenda. Miserabilem, subitumque hunc viri interitum, insecutum est de vxore coram populo sumptum capitale supplicium; nec parum mouit animos, nec leuiter humanæ vicissitudinis admonuit, regiæ Matris, ante rerum arbitræ, militaris custodia, & tandem in Blessarum oppidum decreta

creta

creta secessio. Tunc etiam Lucionensis Episcopus, pridem ait, præcipuus cui Secreta Principis innitercntur, exauctoratus, à Regina autem in Domus suæ supremam præfecturam, quasi confugium, de tanta tempestate seruatus, Regis vrgente iussione, extrà Regni ditionem abire compulsus: inde post biennem relegationem, reparata inter Regem, Reginamque concordia, pristino ministerio redditus: Regina instante, à Rege postulatus, & tandem à Summo Pontifice Gregorio XV. promotus ad purpuram, Cardinalis Richeleij denominationem altissimè sonantem, ac fermè triumphalem, accepit. Diù Regis gratiam fauori Reginæ iunctam persensit, incomparandæ fœlicitatis sibi affulgente solstitio, paulatìm postea Reginæ amorem in acerba odia, prauis Inuidorum artibus degenerem agnouit, tamen in dies inter huiusmodi aduersa se ipso maior; vndè in Aula, & in Regno simultates seditionesque exarserunt, orbi notissimè, ideò miserandæ potiùs, quam recensendæ, vt cum Sacro vate Barberino fas sit asserere.

Nil vsque gratum; nec satias faui
Dulcem liquorem deficit: abditam
In rebus humanis, vel ipsa
Miscet amaritiem voluptas.
Frustrà quietem quærimus anxij,
Dum terra Cæli nos tenet exules
Quid cœna regali paratu
Prodigia Sidoniusque murex?
Quid structa prodest marmore regia
Seù quidquid auri congerit India?
Quod nuper asciuit capitum,
Mox animus fugiet perosus.

Reuersus post annum in Italiam, qui iam Mediolani adfueram S.Caroli celebritati, spectaui etiam solemnia inclyti Ambrosij; gratiamque religiosissimi Borromæi Cardinalis, humanissimis Strozzæ officijs, iam ante partam, magis magisque propi-

propitiam expertus, ſum. Ab Inſubria, viam mihi ad Vrbem præbuit Etruria; ibique à Purpurato Maphæo non pauca de meis itineribus per benignè interrogatus, & multa è fortuito ſermone Principis ſcientiæ, ac eruditionis admirandę edoctus, Virginij Cæſarini in ſuperilluſtri generis nobilitate omni litterarum decore præfulgentis, fauorem, ope Ioannis Ciampoli adeptus ſum. Extinctum eſt nobile hoc (vt ità dicam) ingeniorum prodigium intrà limites Iuuentutis, & Præfecturam cubiculi eiuſdem Summi, & Sanctiſſimi Pontificis, ab ijſdemmet ſtudijs nomine prorogato, & vita ſucciſa, tantus tamen manſit Virginius in mente Principis virtutum æſtimatoris munificentiſſimi, vt deſtinata illi, iuxta publicam exſpectationem purpura, Alexendrum fratrem obtexerit, cæteroqui etiam merentem.

Virginio in omnium æſtimatione, & plauſu à laude ingenij, doctrinæque admirabilis, natalium item illuſtriſſimo ſplendore conſpicuus, ſucceſſit Sfortia Pallauicinus vix pueritiam egreſſus. Hic primogeniorum iuribus magnanimo ſpretu dimiſſis, & inſignis Prælaturæ abdicata ſpe, iam multos annos in Societate Ieſu operoſus latens, at per ægregia ſcripta, præſertim hiſtoriæ Tridentini Concilij, omnibus nitens, docet quam facilè diuitias, faſtumque deſpiciat vera ſapientia, forſan, vt à neglectu dignior, ità & à Maximi Alexandri ęquiſſimo prudentiſſimoque iuſſu ad contemptam magnitudinem aſcenſura nitentior.

Summum voco Ciampoli beneficium dignationem in me, Iulij Roſpiglioſi, bonis artibus, & litteris non ad pompam, ſed ad virtutem refertiſſimi, modeſtiæ, ac lenitatis in aſſiduo plauſu planè admirandæ. Hic ab ineunte iuuentute, fauente Antonio Cardinale Sancti Honuphrij patruo item tuo, ab eximia vitæ ſanctimonia memorando, aſſecutus beneuolentiam Sanctiſſimi Vrbani, tuamque, multis grauiſſimiſque Apoſtolicæ Sedis fœliciter æquè, ac ſapienter geſtis muneribus, quam purpuram ab Vrbano optimo, maximoque Patruo tuo, per

D tuas

tuas commendationes, propediem adepturus videbatur, nisi decessus Sanctissimi Pontificis obstitisset, ab Alexandro in Sacrum Imperium successore, bonorum omnium exultatione suscepit, dilata honoris attributione illustrior. Viro huic verè Eminentissimo pluribus me nominibus debitorem profiteor; præsertim verò semper animo hærebit singularis eius in Abbatem Pompeium nepotem meum beneficientia, in quem, totamque familiam Caroli fratris mei,eorum parentis mors, licet omnia soluat,me paternis partibus alligauit.

Tantum, quod à me obiter memoratum est amissi suauissimi fratris infortunium, non leuiter imminuit Viduæ illius Mariæ Grillæ, à secundis nuptijs auersus animus, & ad regendam quinque filiorum familiam intenta propensio. Hæc virili spiritu fœmina, paternum traxit genus à Genuensi nobilitate, matrem sortita patruelem eiusdem Ioannis Ciampoli, quæ gens si de Caualcantem stirpe prodijt, non caret imaginibus, vnde illius fulgor eniteat. Penes eundem Ciampolum agnoui etiam Equitem Marinum, visum priùs in Gallia, musæ vt mirabiliter lepidæ, ità in multis,ad pudicarum mentium offensionem, iocosæ. Hæc à me in eius honorem dicta putauerim, dummodò subdam tantā lubrici cantus animo ipsius insurrexisse pœnitudinem, vt morti proximus plura flammis destruxerit, quam religiosi conscientiæ suæ Conciliatores exigerent; si enim quem pœnitet peccasse pœnæ est innocens, non absurdè speraturMarinum,se paucarum cartularum adustione,à sempiternis ignibus redemisse; vnde clarus vates eximium vatem feliciter redargueri t canentem.

Se mai foco per foco non si spense.

Ibi etiam frequens videbam Gasparem Sciopium, Balduinum de Monte, Equitem Stilianum, Gasparem Murtulam, pluresque alios à doctrina, & literis famam mutuatos, è quibus non reticebo Georgium Conæum domesticum tuum, ne supprimam Vrbani Pontificis munificentiam, ipsum ex Anglica missione reuersum,Romano murice: (vt constans fuit rumor:

mor) exornaturam, ni mors, eodem articulo temporis, pium, eruditissimumque virum assumpsisset.

Conæo in Anglico ministerio subrogatus Comes Carolus Rossettus tibi à primæua iuuentute doctrina, & moribus commendatus, indeque Nuncius Coloniensis dignissimo Cardinali Machiauello suffectus, idem purpuræ decus adeptus est, te postulante, & Vrbano Principe æquissimò annuente. Rossetti laudes in communibus præconijs celebres, tàm modicus non attingo, quamuis eius fauore, quasi sonoris vocibus excitatus. Eamdem Coloniensis Nunciaturæ, Summo Pontifice Vrbano statuente, mirandis gressibus virtutis, calcauit viam, Chisius antistes, innocentia vitæ pretiosisque doctrinæ, ac litterarum ornamentis decorus. Romam inde ab Innocentio Decimo reuocatus, & ad sanctiora Pontificiæ celsitudinis arcana, cum adiectione Sacræ Purpuræ adhibitus, cui aliquando extiterat administer, vnanimi patrum voto, communique fidelium plausu, datus est in adoranda maiestate successor: vtinam ad multos annos, & iuxta zelum suum, fœlicioribus Christianæ Religionis de die in diem incrementis.

Nondum peracto Romæ bimestri, me transtuli ad cælestis beatitudinis angiportum, nempè Sacratissimam ædem Lauretanam, ex ipsa loci inscriptione, *Verbum vbi conceptum, nataque Virgo patens*, tandemque Florentiam reuisi, vbi continua dulcissimarum litterarum reciprocatio, inter Barberinum, & Strozzam, veluti odoratum balsamus, obsequij mei flammam in sacrum illum Apollinem nutriebat.

Lauretana recensita peregrinatione, sumam superbiam fortè non impiam, licèt nullis quæsitam meritis, quod vltra memorata superiùs Sanctuaria, & Virginis Annunciatæ in Florentina Vrbe Thaumaturgam Imaginem, Sanctumque Lucensem vultum, mihi obtigerit adigere Montem Senarium, Vallem Vmbrosam, Montem Aluerniæ, atque Camaldulensem Eremum, primoque studiorum Bononiensium anno digredi æstiuis ferijs, ad Virginem Regiensem, alioque post tempore,

inuisere Casinum Montem, Carthusiana iuga, Specum Sanctę Mariæ Magdalenæ austeritatibus venerabilem, templum Virgineum Carnotense, nostræque Dominæ de Liesses, Sanctos Præsules Hilarium, & Martinum, Sanctamque Reginam Virginem martyremque, aliaque magni, & illustris nominis loca, prolixæ quidem narrationis argumenta, quæ vtinam ad pellendam de meo pectore, diuini cultus parsimoniam influxerint.

Interim adnitente Ioanne Paulo Caissoto Comite Niciensi verè omniscio, & virtutis, & prudentiæ, Romano spectatu dignæ, mihi ante in Bononiæ studijs summa humanitate iunctissimo, gratia beneficentiaque Duratij Cardinalis tùm primum ad Sedis Apostolicæ obsequia initiati, eò vsque dignatus sum, vt eius fierem continuus Commensalis, quo tempore Serenissimus Petrus, præclarissimi huius Præsulis Pater, ad supremum Genuensis Reipublicæ moderamen euectus fuerat.

Ità vix elapso anno Florentiam relinquens Romam reuisi.

Facta hìc mentione Ioannis Pauli Caisoti, trahor etiam ad Ludouicum Tertium Brixiensem, eodem vinculo beneuolentiæ in studijs Bononiensibus, & in Romana aula connexum. Erat hic honestissimæ originis, scientiæ, comitatisque non vulgaris, speciei que ferè incomparandæ: tantæ autem probitatis, vt ab insipientibus fœminis tentatus, nullius spei se præberet; erubesceretque quasi peccaret, quia placebat. Euitauit aliquando ex hoc publicas vias, suis itineribus commodiores nullis, præ modestia datis ab ipso talis, euitamenti rationibus; quas ego aliquot post tempus resciui, vltimum diem obijt, vix trigenarius, contubernalis Lazari Botti, tunc Causidici eximij, modo Cameræ Apostolicæ Commissarij, & quidem inter illius vlnas, & meas, vtriusque lachrymis madens, tota Curia eruditi optimique iuuenis obitum deplorante, & multis hanc amici iacturam mihi compatientibus.

Nunc etiam inter scribendum compellor in luctum, accipiens Roma infaustum Nuncium de Comite Carolo Antonio

Cais-

Caiſſoto ſupradicto fratre, hoc eodem anno 1659. humanis erepto; adeo vt inter tot vitæ huius amaritudines altiùs in dies ad Deum, vnicam animorum dulcedinem, vocer, vtinam & pergam. Reperiui admiſſum in indiuiduam Duratij Præſulis conſuetudinem, Ioannem Auguſtinum Marlianum, ſplendidæ Genuenſis proſapiæ, iam ante mihi in Bononienſi vniuerſitate obſeruatum, tantiſque nominibus virtutis, & officiorum cultum, vt delatas ſibi progreſſu temporis Epiſcopales Ciuitatis Marianæ Infulas lætus aſpexerim, & quæ ſanè maiora promeretur apprecari non deſinam..

Errabant ſapienti motu per illam Domum de Romano (vt ſic loquar) Cœlo Sidera Ludouicus Ludouiſius, Gregorius Narus, Octauianus Raggius, Ioannes Dominicus Spinula, Antonius Sanctacrucius, Bernardinus Spada, Iulius Sacchettus, Cæſar Montius, Lælius Falconerius, Hieronymus Grimaldus, Cyriacus Roccius, alijque nobilitate, ac litteris clari, quorum ſplendor de Vaticana purpura magìs enituit, & quotidie in me benignè influxit. Inter eoſdem admirandi eſſent Franciſcus Vicecomes, & Fabius de Laguniſſa eo ipſo præfulgentes, quod non vt cæteri fugere conſpecti ſunt, contentus ille Epiſcopatu Cremonenſi, Iſte autem Antiocheno Patriarchatu, Spada eſt apud omnes amplum laudationum faſtorumque argumentum; At eius nomen, omni Encomiorum luce præſtantius; de Raggio autem ſic obſtrependi fiduciam ſumpſi.

Raggio ſei tu, non già d'iniqua Stella
Dogliosi fati à minacciarne intento,
Mà ben' à preſagir gioia, e contento
Diſpieghi luce fortunata, e bella.
La porpora ſouuente al merto ancella
Scorto in te di virtute alto talento
Spera, al tuo biondo crin fatta ornamento,
Produr' à pregi ſuoi gloria nouella.

E già

E già quel tempo ambitiosa attende,
Ch' à lei sia dato incoronar sua fronte
E i giorni lenti à trapassar riprende.
Non raggio all'hor, mà Sol nell'Orizonte
Sarai, che più, porporeggiando splende;
Ne fia ch'in Ciel di glorie vnqua tramonte.

Deuixit hic, consueta humanæ fortunæ proteruia, non multo postquam se aspexit in altitudinem Dignitatis euectum. Eumdem tamen Domui suæ fulgorem instaurauit Laurentius Nepos, à primis annis, clarus summa laude virtutis.

Eo etiam tempore; Duratio è vehementi, at breui febre conualescente in hæc verba exultaui.

Præsulis ægregij febris vix præsserat artus,
Cum sua, restituit gaudia nostra, salus.
Non de terrenis, verum cœlestibus, hortis
Otia, quæ nobis hæc facit, herba fuit.
Sic nempè æthereo visum seruare, parenti
Qui partum nati sanguine seruet agrum.

Dicere vix est, qua Comitate Antistes ille ornatissimus me complexus sit. Inde mihi denuò datum coram venerari Barberinum Cardinalem, cuius titulis accessit, non multo post tempore, Pontificalis honor; Tanto Patre in Vrbanum VIII. ipso Christianæ transfigurationis die, fælicissima apotheosi conuerso. Successus iste mihi lætissimus, ex Ingegnoli mei penu versus deprompsit, vt ineruditæ, sic deuotæ mentis indicium.

Chara Dei proles, Patris alma voce notatus,
Christe nouam speciem, vultu habituque refers.
Qui dedit in Tabor tanta hæc spectacula præsens,
In Vaticana duplicat arce dies.
Vox diuina, Patrum dat per suffragia, Terris
MAPHAEO Christi Regis inesse vices.
VRBANVM sic te veneratur ROMA, tuasque
Læta coronatus, vndique cernit APES.

Qui

Qui rutilam Domini faciem, niueasque repentè
Mirantur, vestes cernere, semper auent.
Teque tot euectum meritis in Sede suprema
Cum populi tanto numine suspiciant.
Optabunt iunctis adeuntes, sydera votis
Nil nisi vt Imperium stet sine fine tuum.

Hoc aliquo modo adimpletum. Si enim fluit ante rerum humanarum series, & ipse Vrbanus circumdatus fuit infirmitate, nec ideò æternum valuit gerere Sacerdotium, vni Christo reseruatum, gessit saltem diutinum; Adeò vt minus octiduo ad integram vigesimi primi anni mensuram in eius Pontificatu defuerit, quod sanè pluribus ante hac defluxis sæculis visum non est.

Erat Duratius amicitiæ iure sic Montio Præsuli adstrictus, vt nihil alterutrius non esset vtrique. In hac sorte egomet censitus sum. Etenim cum à Summo Pontifice Vrbano VIII. Montius Sancto, aduersus hæreticam prauitatem Officio, Assessor datus fuisset, me de Duratij mensa traxit ad suam, moxque Neapolim transtulit, in illo Regno ab eodem Vrbano Apostolicæ Sedis Nuncius renunciatus.

Per ea tempora Pater meus Pompeius annum agens 68. Florentiæ diem supremum clausit, cuius funeri musa nostra hisce versibus, tumulo apponendis, licet absens interfuit.

Patris ALEXANDRI SCARLATTI clara propago
POMPEIVS patrio conditur hoc tumulo.
Per varios casus, fortunam expertus vtramque,
Aequa tulit Sapiens, Fortis iniqua tulit.
Quem semper coluit Soboli pietatis amorem,
Non quas amisit tradere quiuit opes.
Discite virtutem, Nati, Patrisque labores,
Ex alijs Sortem discere fata sinant.
Sic erit, vt nostræ, laribus firmetur auitis,
Et crescat stabili limine Gentis honos.

Hoc

Hoc vobis frater fratres à Numine poscit
Alter ALEXANDER, Patris in obsequium.

Intereà Montius Præsul, Vrbano Patruo tuo sapientissimo sic iubente, concessurus in Hispaniam Neapoli me reliquit, vt ibi vices suas agerem, & Apostolicæ Sedis iura tuerer, Mox Matritum ipsummet Montium insecuturum. Euentus tamen cogitationem fefellit; voluisti enim (Eminenentissime Princeps:) vt Alexandro Bichio, in illud ministerium subrogato, subessem, & ad nouum virtutis exemplar erudirer, mixtoque oneri lætarer honore. Vltrà annos tres permansi in illustri, & amœna illa Vrbe, cuius in excellentiam, artem, & naturam dotes suas profudisse potius, quam dispersisse quis dixerit; gratiamque inde non abesse, pijssima opera, in dies, aucta testantur. Iura dedi in Apostolico illo foro vna cum Francisco de Albizzis, Alphonso Cappelletto, & Petro Gentili Vgolino, Stephani Vgolini Præsulis, ac Summo Pontifici Alexandro domestici Auditoris fratre, Ioanne Baptista de Valentibus pro Fisci rationibus aduocante. Nuncius Montius abduxit in Hispanias Franciscum de Albizzis, Ascanio Turamino suum locum Neapoli relinquentem. Mutasti Turaminum in Episcopum Grossetanum, viamque Albizzio ad Cardinalatum pandisti, promouente Innocentio X. quem tu pariter, ex nunciatione vocatum Neapolitana, Legationum tuarum Comitem adhibuisti, Nuncium Hispaniarum, & Cardinalem, tandemque Summum Pontificem, ex omnium opinione, creasti. Quantus sit Cardinalis de Albizzis norunt Italia, Germania, Hispaniæ; At Roma præsertim sentit pro orbe vniuerso. Ego verò huius animum tantæ in me benignitatis expertus sum, vt ingrati detestabilem notam mihi subeundam putarem, ni saltem, properante calamo, præcipuis nominibus illi me adstrictum profiterer. Cæteros etiam quos recensebam, præsertim verò Ioannem Baptistam, nunc Abbatem de Valentibus, propria virtute, & auita nobilitate conspicuum, ex eorum meritis, & propensa in me voluntate, quamdiù sim, amantissimè recordabor.

Ter-

Tertiò incipiente alterius huiusce Nunciaturæ anno ſtetit Vrbano Maximo ſententia, vt Bichius, Nuncio à Balneo, nuperrimè apud Chriſtianiſſimum Regem purpurato, ſubrogaretur, nec quidquam veritus Sapientiſſimus Pontifex, vt qui Neapoli cum vno, alteroque Prorege, alijſque Proceribus Hiſpanis benè conſenſerat, cum Rege, & Regno Galliarum æquè conueniret. Sic ſanè peractum, nec parum præſidij repertum in ſcitis Sanctiſſimi Pontificis, cuncta miro iudicio præuidentis, & tuis. Totum ferè illud Regnum, vna cum illo peragraui, eiuſdem beneficentia beneuolos expertus, nedum Cardinalem maximum Richeleium, quin etiam Rupefucaldum, Mauritium à Sabaudia, Ludouicum Valletanum, & Franciſcum à Lotharingia, nec non Sereniſſimum Carolum Ducem, iſtius fratrem, alioſque ſpecialis notæ Principes, & Magnates, è quibus nominare liceat Marchionem Mirabelli, & Chriſtophorum de Benauidio Regis Catholici Legatos, Abbatem Nicolaum Albertum, aliumque Optimatem, Regis Poloniæ, Aloyſium Contarenum, & Ioannem Exuperantium Venetæ Reipublicæ, non omiſſis Comitibus Druenti, & Sancti Mauritij Allobrogum Ducis Oratoribus, cum Equite Ioanne Baptiſta Gondio, de me, & de tota agnatione mea ſemper optimè merito, tunc Pariſijs ad res Magni-Ducis Etruriæ ſumma fide, & ſolertia reſidente, necnon Iuſtiniano Priando tantundem in obſequium Mantuani Ducis præſtante. Non defuerunt Epiſcopus Herbipolenſis Catholicorum Germaniæ Principum fœderatorum Orator, nec Catholicorum Electorum Imperij Procuratores eximij, ſiuè Oratores Helueticorum ſtatuum, Romanæ Eccleſiæ conſentientium. Habui diuerſis temporibus commenſalem apud Bichium Nuncium, Iulium Mazarinum, eiuſdem hoſpitem, cuius virtuti iam tunc Barberinæ Apes in ampliſſimam, qua nunc effulget purpuræ potentiæque ſortem mellificabant. Multa ibi in Gallia exhibita humanæ viciſſitudinis experimenta. Superiùs dictis iungendum puto, Montemorantij commiſerandum caſum: res

planè luctuosa Dynastam nobilissimum, in eoque stirpem clarissimam, infami Carnificis gladio interijsse.

Innumeri aderant, qui Sanctissimi Vrbani actus, atque virtutes cum veneratione recolerent. Baro de Pexe vir multarum litterarum, eò temporis magnates aduenas ad Regem adducendi, deducendique munere fungens, mihi de Sanctitate sua lætabundus aliquando dicebat (Amat nostram, quamuis sit rustica musam.) Ad illum in honoris significationem sic scripsi.

Candidus ingenio, dulcis sermone, verendis
Moribus, & varia Palladis arte potens.
Externos Pr oceres Regis, qui interserit astris
LILIA, magnanimum ducis ad alloquium.
Fingitur ad Regem Superum via lactea; Francum
Tu das gemmato tramite adire Iouem.
An sic insinuas LVDOVICVM anteire Tonanti
Gemmarum vt lactis munera vincit honor!

De ipso Rege in Regia Villa Fontibellaquæ cantiunculam: (tacitè tamen:) composui. Eius hic appono principium, addito aliquo fragmento ad confidentiam potiùs, quam arrogantiam. Verum est enim ex mea rudi Minerua nil exire dignum aspectu, meque si quando scripserim, ideò tantum egisse, vt virtutem in alijs colerem, aut in me excitarem.

Presso'l fonte famoso di bell'onda
Più che real diporto.
Del Franco Regno al gran Monarca inuitto
Ferma d'alta sua man l'humil mio scritto
Sacro Signor, che in ogni merto abonda
Signor, nel cui parlar soaue accorto
Francia scorge gioconda
Del gran Pastor, che chiude & apre il Cielo
Qual sia la prouidenza, & qual sia'l zelo

Postmo-

Post modo de ipso Rege.

Trionfator de Giouenili affetti
Così come di mura
Inespugnande, ò d'inuincibil gente
Co'l moto pio di generosa mente
Non men ch'à vasti Regni à se sogetti,
Agl'esterni, di pace il ben procura;
Ne i suoi pensieri eletti
Son che di render, con imperi grati,
Padre pietoso, i Popoli beati.

Se fatigato alleuiar'il pondo
Vuol della regia salma
Non otio vil ma nobile sudore,
Alla stanchezza sua porge vigore:
Fà di sue armate schiere vniche al mondo
(Quasi allor soura stia guerriera palma)
Spettacolo giocondo
Ponendol'ei forte campion, & alto;
In atto hor di difesa, & hor d'assalto.

O pur intento à generosa caccia
Segue Cerui volanti
Di rapido Corsier premend'il dorso;
Et quei non men veloce eguand'al corso
Fere di proprio stral nella lor traccia;
Così dubbio riman se più si vanti
La fiera perche giaccia
Di sua destra reale, ò l'huom che sorge
Perche benigno à lui sua aita porge.

Grido non è d'adulatrice fama,
Ben sì verace auiso,
Ch'il giusto Ludouico habbi vaghezza
Non sol d'vdir concenti, ond'allegrezza

L'alme restauri; mà con egual brama
De gl'hinni, onde propitio'l paradiso
A se la Chiesa chiama,
Sua pietà industriosa alle deuote
Voci componga armoniose note.
Ma qual'profano ò freddo petto all'hora
Sant'ardor non infiamma,
Ch'ei genuflesso à Sacrosanti Altari,
In Sacrifici offerto almi, e preclari
L'immortal Figlio al Padre Eterno adora
Splende nel volto à lui del cor la fiamma
Ond'il Ciel'innamora;
E l'ampie monarchie deuoto e pio
Mostra amar'men ch'esser'lui à Dio.

Quartus iam in Gallia Bichio, grauissimi muneris annus deuoluebatur, cum splendida Vrbani arbitria, tuo præsertim fauente patrocinio, illum ad Sacram purpuram, iunctis alijs duobus iam nuncupatis Mœcenatibus meis, inter alios multarum laudum Magnates, vnico effatu prouexerunt. Res ità me placidè impulit, vt versiculos ferè Subitarios de rubi meo Calamo educerem.

Emoriar lætus, mihi tres ad limina Petri
Murice fulgentes imperitasse patres;
Quodque magis plaudit, longè seu charta salutet
Seù propè vox festos reddat amica sonos.
Grandibus æterna meritis in laude futuris
Parta sub obsequijs Purpura Sacra meis.
Hæc tamen incautos rapiat spes improba sensus,
Sorte quid vt mediter longius exigua.
Crescere præsidio cupiens, cœlestia lucis
Optaram tantæ gaudia Præsulibus.
Erubnere Dei, iam nunc salua inclyta res est.
Vlterius ne mens exagitare caue.

Reue-

Reuerſus eſt à Nunciatura Gallica Purpuratus Bichius, in quem Regia ſic effulſit Clementia, vt ad præſidium, & dulce decus meum ſe etiam extenderit, ſplendidis Regis, & Richelij Cardinalibus muneribus, addito inſuper ampliſſimo Diplomate ad finem anni 1633. nobilitatem, cæteraque iura Regni Francorum, mihi largiſſimè confirmante; tali ſiquidem honore dignatus olium fuit, à Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XII, Abauus meus Alexander, quo tempore cum Bernardino filio Lutetiam Pariſiorum conceſſit, Mediolano in Etruriam rediturus, paremque, qui nunc fœliciter imperat Auguſtiſſimus, & Inuictiſſimus LVDOVICVS XIV. nouiſſimis hiſce diebus impertitus eſt gratiam Caroli fratris mei filijs, in regia rationum fiſci Curia propediem expediendam.

Reliquit Cardinalis Bichius ſibi ſuffectum in illa Aula Antiſtitem ornatiſſimum Georgium Bolognettum, indeque impenſam apud Regem Chriſtianiſſimum pro Romana, & vniuerſali Eccleſia opem, iam ſuæ Carpentoratenſi præſtare cœpit. Regreſſio hæc tantum mihi peperit boni, vt Ioſephum Mariam Suareſium, paulò priùs reuerſum ab Vrbe, ſuis meritis, & tuo beneficio Epiſcopum Vaſionenſem tenuitati meæ humaniſſimè fauentem, experirer. Iam ante efferebar in Præſulem litteris, eruditione, ſcientia, pluribuſque alijs nominibus ſuſpiciendum; Conſenſit huius fauori, haud diſpar Ludouici Præpoſiti Auenionenſis, aliorumque ſuorum dignè merentium fratrum, ſingularis gratia de meo nunquam pectore, niſi abeunte ſpiritu, receſſura. Quantum verò emineat in Ludouico virtus, & zelus domus Dei, omnes ſciunt, & Religioſiſſimus Dominicus de Marinis Archiepiſcopus Auenionenſis agnoſcit, iam multos annos illum Generalem Vicarium adhibens, in Metropolitana ſibi chariſſima Eccleſia. Fuit Suareſius Præſul ex domeſticis tuis: fuerunt, & plures alijs virtute ac ſcientia locupletiſſimi, per te honoribus, & dignitatibus aucti; adeout aulam tuam Troianus equus expreſ-

ſerit feracem coronatorum militum, qui de profligata inertia in Apollinis, & Mineruæ Curribus triumpharent, ſed quia prolixè nimis omnes dinumerarem, contineor in Cardinale Filomarino, virtutibus etiam Eminentiſſimo, Caſſiano de Puteo, cui ab ipſa pueritia addictus eram, Luca Holſtenio celebri ſcientiæ ac litterarium prompturario, Ioanne Baptiſta Donio conciui, & amico meo, mira eruditione prædito.

Reuerſio Bichij Cardinalis ad Vrbem, de Pontificijs manibus Vaticanæ Purpuræ inſignia, ſolemni ritu accepturi, fauſtam mihi peperit ſortem, vt qualis Maximo Vrbano iam diù eram, me Antonio Ampliſſimo Cardinali profiterer, ac in eius illuſtre patrocinium aſſumerer. Sæpiſſimè mihi datum eſt Principem iſtum adire: nunquam verò ab eo reuerti, quin vultu tantumdem, & oratione, quam re beneficioque captus, apud eum remanſerim. Militiæ, togæque inſtructus artibus, acies Supremus Imperator magna cum gloria moderatus eſt, pacemque firmauit. Contempto auro, inter mundi caligines deauratus, & de magnificentiæ, religioniſque ſolſtitio, nunquam in mente hominum ſciturus occaſum.

Idem aduentus aditum mihi patefecit ad gratiam Friderici Sfortiæ, Præſulis origine ac virtute Excellentiſſimi, inde non longo curſu temporis Cardinalis. Mira hic conſtantia perrupit iniquitatem, præſertim in Auenionenſi Ditione ſplendido Antonij Cardinalis delectu prolegatus; me quoque non paruis magnitudinis ſiue muneribus honeſtauit: optimè concordes Bichius, & Sforzia in fouenda Montis regalis, promerente familia, extiterunt. Ex hac, Cardinali Lugdunenſi quoq; vehementer dilecta, Sforzia Ludouicum eligit, cuius virtutibus Cauallicenſes inſulas impetraret. Eidem Antiſtiti paſtoralibus ſtudijs per decennium inſigniter commendato, Bichius exhibitam pridem mihi (qui me tanto muneri prorſus imparem agnoui, & libenter fateor) tradidit ſuam Carpentoractenſem Eccleſiam, vt & Populis, paterna ſibi charitate dilectus, præ virium defectione prope deſiderandus, caueret, ne

in

in tali ſucceſſore deſideraretur,quantoque amore pium in amicum ferretur tali argumento probaret. Vetus mea in optimum paſtorem, claramque gentem ſuam obſeruantia, quin ſaltem iſta ſcriberem pati non potuit. At fieri ne potuit: Eminentiſſime Princeps, vt tamdiù te alloquens de te nihil loquar? Ratus memoriam geſtis tuis ſatis eſſe, nihil planè à me additum fatebor, cum breuiſſimo verborum ambitu laudum ſegetem perſtrinxero ampliſſimam. Sit hæc te non mutaſſe in ſuperbiam diuturnitatem Imperij: te in ſumma rerum omnium poteſtate nulli magis imperaſſe, quam tibi: te Iuuenem nil iuuenile geſſiſſe, talemque ad cœleſtium clauium regendum pondus, Vrbano Principi adiutorem fuiſſe, vt te non tantum delicijs ſolatijſque à pluſquam Regia Fortuna affluenter oblatis, verùm, & neceſſariarum rerum vſurpatione fraudaueris. Sic tuum nomen magni erit inſtar triumphi, eoque audito, fulgor immenſus à zelo domus Domini, pietate, iuſtitia, ſcientia, & omnium bonarum artium præſidio cunctorum animis oborietur.

Subacta aliquo poſt tempore in Artheſiæ Prouincia, Regijs Imperijs, Vrbe munitiſſima Atrebate, hoc luſi epigrammate.

Tot tulit addicto LVDOVICVS marte triumphos,
Vt premat aguſto ſydera ſumma pede;
Tanque belligerans meruit ſibi prœmia virtus
Magne ARMANDE tui numine conſilij.
Huc tamen incipiunt ſamulantia ſata coronas
Texere; concedat Pompa vetuſta nouæ.
Dant modo viuendi vulgò quas dicimus arrbas;
Si tales, quantum proxima palma feret?
Regina fulmineum liberat, quæ dextera ferrum,
Iuncta ſimul gratæ ſimbola pacis habet:
Arripiat ſapiens; aliquin vindice Gallo
Totus ad imperium non ſatis Orbis erit.

Inde

Inde Ludouico decimo quarto, fere in ingressu ad Regnum, in Luxemburgensi Comitatu Theodotionis Villa potito, in hæc verba exiui.

Credita conatus Arxelusura tremendos,
Regis adhuc tenera concidit icta manu.
Insita regali genio vis apta triumphis
Iam patet, Augusta MATRE regente vias.
MAZARINA simul laureato in fasce SECVRIS
LILIA nil durum non domitura docet.
Talibus auspicijs ergo præeuntibus, ista
Fas erit à Regno gaudia ferre nouo;
Scilicet vt nata est Ecclesia dum Genitoris
Filius æterni passus ab hoste necem est
Eiusdem Matris genitus prior, hoste subacto,
Cuncta sacro ipsius vindicet imperio.

Iuit, redditque Cardinalis Bichius multoties per difficiles vias, vt in Italia, & in Gallijs pacem Regio nomine stabiliret; Vnde studium Regis, Senatus Serenissimi Venetorum, Magni Ducis Etruriæ, Parmensis, & Mutinensis Ducum in eius virtutem excitatum, cæterorumque Christianorum Principum magis inualuit. Eiusdem intuitu euenit, vt inclyti Senatus, & Magni Ducis vltronea largitas in me quoque dilataretur, ingentis pretij muneribus, non tam pectus ornando, quàm cor ad vtriusque Principis reuerentiam deuinciendo. Ille verò nil splendidum in se agnoscebat, quod ad Sanctissimum Pontificem, ac tuam Antonijque fratris eminentiam, tamquam ad duces, & auctores non referret, vnde mea in vos veneratio cum ipsius obseruantia in dies augebatur.

Anno 1644. inter canis æstiferi calores gelu mortis obriguit Maximi Vrbani moralitas, parte tamen meliore sui super astra perenni, nec vnquam in memoria temporum, & fama rerum interitura. Sacris Comitijs eius, alteriusque decennio post subsecuti inter regni, in Conclaue Bichius me ducere dignatus est, fuit vna detentio 37. dierum; altera ad 80. se

exte-

extendit. Plurimos ibi prudentiæ, pietatis, ac Religionis vſus, nec forſan verſutiæ paucos, datum adnotare, nil tamen magis remiſcendum, quam mundanæ vanitatis in ſua leuitate conſtantiam: quæ enim eo loci aduenit vnius ſubita ſumma, & admiranda fœlicitas, multorum ſpes turbat, & diſſipat, ipſamet coloſſus niualis in æſtiuo meridie, maximum quid longè intuenti, & de proximo nihil. Hinc te: (optimè Princeps) aptè cogitaſſe meminerim, dum domeſticis ſepoſitis rationibus in illa tantæ molis tractatione, id tantùm proſequi ſtatuiſti, vnde Chriſtianæ Eccleſiæ præſidium, decuſq; orietur maius.

Dilexit Bichius Cardinalis fraterno amore Cœlium Picolomineum Conſobrinum ſuum probitate, litteris, ac peritia Iuris cum eminentioribus comparandum. Hic poſt aſſertam, miniſtratamque, omni cum laude, iuſtitiam, Summo Pontifici Alexandro præſens ſtrenuam præſtitit operam. Nunc abſens eiuſdem venerabili Sanctitati in hoc Gallico Cegno deſeruit Apoſtolicus Nuncius; ſicque cùm in eadem ſit cauſa, in qua multi proceres ſacra purpura decorati, ſperare datur ipſum fore in eadem fortuna. Eius fœlicitas præcipuum erit votorum meorum adimplementum, ſicut ex eius bonitate rerum mearum ſoſpitas poſtrema ſui cura non fuit.

Percharum item Bichius habuit Franciſcum Butum varia ſcientia æſtimandum, præſertim verò drammatica poeſi clarum; quod ſi Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt, primis erit hic laudibus extollendus, qui parta ſibi munificentiſſimorum Antonij, & Mazarini Cardinalium gratia, à genij, & ingenij excellentia, ipſam etiam Regis, ac Reginæ ſentit ſibi beneuolam Maieſtatem. Omnium ferè mouentur in eum ſtudia: ipſe autem multis ei nominibus debitor ero, & ſinceræ obſeruantiæ fidus ſolutor. Naturæ inuidia vel impotentia lectiſſimis duobus Bichijs fratribus Alexandro Cardinale, & Metello Sacræ Rotæ Romanæ XII. viro inter publicas complorationes mortalitatis ſubtractis, Galganus

Mar-

Marchio quoque decessit, sanè vir nobilis, diutissimè viuere dignus; at viuit, vt spero beata in æternitate: viuet cordi meo infixus quamdiù spirem, &, ex Diuino oraculo, mortuus quasi non mortuus; similes enim reliquit sibi post se egregios filios, Metellum Arcis Albeniæ Marchionem, & Carolum Montis maioris Abbatem, in quo præsertim manet Auorum exuberans spes. Hic Regi Christianissimo iam iam expectanti sistendus, vt eius Maiestati Patrui Cardinalis fidem, obsequiumque in se, totaque sua Domo mansuram testaretur, sic animi corporisque mei imbecillitatem dissimulauit, vt me, vires vltra, fortemque senectæ, ipso etiam optante patre, comitem voluerit. Vicit ergo iter durum pietas, sicque Lutetiam reuersus sum, qua ætate, ac tempestate, ne quidem assuetum cubiculum relicturus censebar. Omnia posthabui meritissimorum Patruorum memoriæ, rarissimæ optimæ nepotis indoli, si Deus faueat, ex omnium expectatione, in pulchram meritorum, & dignitatis consummationem ituræ. Quo verò ad me, vitam meam pretiosiorem non facio, quam, vt grati animi sensum ad officia promptus exhibeam; dolui, dum de hoc itinere agebatur, præreptum iuuenili ætate, senili sapientia, Natalem Rondininum à Secretioribus litteris ad Principes Maximo Alexandro Pontifici deseruientem. Quam in ipsum, & Alexandrum Patrem, Natalemque Auum habui obseruantia par summæ venerationi in Paulum Æmilium fratrem multarum laudum Cardinalem, ad leuia hoc metra mouit grauem mœrorem meum.

Inclyte flos iuuenem, nascendì nomen adeptus.
Hebeu quàm rapido funere mersus obis?
Ista tui claro potiùs de stemmate sors est;
Nam sic à nobis aduena transit auis.
Attamen ad nomen sit fas aduertere NATA
LIS erat in laudes officiosa tuas.
Te retinere diù certabat terra: vicissim
Te sibi maturum senserat esse polus;

Cum-

Cumque in ALEXANDRI sacris effatibus esses
Iam tantus, nil quo progredereris erat.
Sic igitur virtute tua LIS NATA perempta est
Spiritus vt cælo, fama perennet humi.

Interim, dum ista commemoro; bellum crudele, ferox, exitiabile inter Francos, & Hispanos, quod iam viginti, & octo annos Galliam, Hispaniam, Germaniam, Italiam, gentes, rationes, totam denique qua patet, terram diluuio quodam, & innundatione corripuit, vt aliquid durius, ac perniciosus, quam bellum dici posse videretur: malum, quod præ sui asperitate caduceatorum industriam eludens, medendo ægrescebat: quo tempore in deteriorem timebatur interitum; subito quasi Diuina voce detonante, silentiumque indecente, quiescit; nec pacis tantùm, sed etiam sacro nuptiarum Christianissimi Regis, Regiæque Hibericæ Principis fœdere submouetur. Verè (si vnquam) in diebus nostris apparuit Mundum dare non posse pacem, salutiferumque munus eam esse solius dexteræ excelsi. Ideò in tam fœlici, faustaque deprehensione, cunctarum gentium, horret adhuc animus, manifestaque gaudia differt, dum stupet, & tantò cunctatur credere voto. Quidquid verò humanitus in admirando facinore diuina bonitas interuenire voluerit, datur Mazarini Cardinalis eidem sapientiæ, qua priùs arma Regia temperauit, victoriasque maximo Regi, & triumphos instruxit; nec parum pectoris eius altitudo extollitur, quod hinc Alexandri Summi Pontificis paterna vota, & adhortamina irrita esse noluerit, Grandia item nunc meditatur, & auspicatur in rei Christianæ augmentum. Ego verò dum quilibet de Christiano populo se vna, & eadem communi ratione, tanto hæroi adstrictum fatetur, & ipsius beneficentiam commendare compellor, quæ suo nutu fortunam iterum in Domum meam acerbis ictibus sæuientem ità compescuit, vt etiam meliori earumdem statu deseruire coegerit.

Hæc

Hæc memorata volui (Cardinalis Eminentiſſime) vt meum erga te humillimum obſequium in vltima meæ vitæ periodo teſtatum relinquerem, Principibuſque, & alijs egregijs viris de me non parum meritis aliquam ſpeciem gratiæ referrem, confeſſus Celſitudini tuæ, quantum eis debere me ſentiam. Cæterum, vt reſpondeat principio finis Epiſtolæ, multò latiùs quam cogitauerim euagatæ, oro cum bonis omnibus Deum optimum, vt quæ in ſortem Excellentiſſimæ Gentis tuæ tam ante Columna, & Apis de regio eleuatæ capite (ſpecioſius quam de Iouis cerebro fabuloſa Pallas) prænunciaſſe videntur, tu Antoniuſque frater, vnà cum Vrbano Patruo Sanctiſſimo, iam ſuperis vindicato, cæteriſque Magnanimis Auis veſtris, perpetuò de cœleſti ſpecula aſpiciatis in æternitate, priùs tamen diutiſſimè incolumes, atque hilares ſpectaturi in tempore.

Lutetiæ Pariſiorum Idibus Iulij 1659.



